SAnè nobis arbitrari licet propter Sentiorum mili-
tiam pro Rep. vel ſub Imperatoribus egregiè abſo-
lutam poſt multa pericula; exanclatóſq; foris labores tan-
dem domi In patria ocium cũ honeſtate; et gloria ijs fuiſ-
ſe conceſſum. Eodem in tractu Verbanum verſus à Mo-
Actiatũ opp. Boſſiorum. raſentio vico. Miliario fermè tertio Actiatum eſt familiæ
Boſſiorum oppidum ſanè antiquiſſimum; eminentibus in
Collibus cõſtructum, lacúmq; Glareatum ad ſeptemtrio-
nem ſpectans. Quòd quidem Actiacum appellare non du-
bitarem; niſi vererer ad Seueros huius ætatis gramma-
Amphictiões. ticos velut ad Amphictiones hiſtoricorum ordinem cau-
ſa mea trahi. Hoc.n. tempore vſus inoleuit; vt ſtatim quod
non habetur à Coſmographis; vel hiſtoricis; tanquam nul-
læ prorſus deſiderentur Hiſtoriæ; uel quòd omnia coſmo-
graphi diligentiſſimè obſeruarint; repudietur. Obganiant
igitur quicquid velint noſtri temporis Ariſtarchi: quod
ipſe ſentiam Ingenuè ſemper fatebor. Arbitror ergo oppi-
dum ego iſtud vel à græcis: quos in Coloniam .C. Cæſar
Græcorũ coloni. Nouocomenſes. deſcriptos miſit: quos cum regionis eius propter aeris Ina-
mœnitatem tederet; In apriciores Inſubrum Colles reli-
cta Colonia ſe recepere; eſſe conditum: denominatumq; ab
Actiũ Epiri promuntoriũ. Auguſtus Cæſar. Actio Epiri promõtorio: vel potius ab Inſubribus in gra-
tiam Auguſti; ob victoriam cõtra. M. Antonium; cui erant

hoſtes Infenſiſſimi; ut legere eſt in tertia: quarta; et quin-
ta Philippica apud Ciceronẽ: et Cleopatram ad ipſum pro-
montorium de quo diximus Epiri. Iccircó Populi vt Fa-
uorem Imperatorum facilius aſſequerentur Vicos alij, alij
Aras; ludos; Trophea et huiuſmodi aſſentationum genera
certatim ædificabant; erigebant; vouebant. Vnde Maxi-
mus Vates. Virgilius.

Actiaq; iliacis celebramus littora ludis.

Et Horatius.

Iurandáſq; tuum per numen ponimus aras. Horatius.

In liguſtico item littore non procul à Nicea vrbe vicus Nitea vrbs.
eſt; oppidum olim florentiſſimum; quem Trophea Auguſti Trophea Auguſti.
veteres nominabant: nunc audio ab ijs liguribus Villam Villa franca.
Francam vocari. In Inſubribus item (vt infra dicemus)
Cæſaris Ara fuerat. Nulla igitur aliquem detineat ad-
miratio; ſi oppidum iſtud Actiacum nominauimus nullũ
ſequuti authorem ſed ſolam Coniecturam. Id autem feci-
mus; cum ob ſitus; tum ob nominis ſimilitudinem. Imminet
.n. glareato lacui; quem Giuiratum diximus appellari;
velut Actium Epiri Ambracio mari: quod noſtra ætate Ambracium Mare Larte.
Larte nuncupant. Fuerit igitur vel à græcis in Coloniam
deductis à Cæſare Nouocomum à Rhetis vaſtatum: ſiue
ab Inſubribus in apertam erga Cæſarem Auguſtum adu-

Gaud. Merula

Mons robius Colles Briãtei

Alciatus uir pluſquam ocu latiſſimus.

Lomatium.

lationem conditum oppidum eſt hac noſtra cõmemoratione digniſſimum. Gaudentij quoq; Merulæ ſequor opinionem; qui in antiquitatibus ſuis Ciſalpinæ Galliæ montem Robium inter Brianteos colles; quos melius Briganteos diceremus vini et copia; et preſtantia celebrem; Orobiorũ non Robium plurimis argumentis; que recenſendi non eſt locus dici debere; exiſtimat. Multa ipſe preterea oppidorũ nomina planè grecanica Inter Inſubres; hac tantum de Cauſſa; quòd in ijs Andreas Alciatus. fuit pluſquam oculatiſſimus. Poſſem ſi hiſtoriam vel Coſmographiam abſolutam ſcriberem ſuper hac re centenas (ſi tamen ocium mihi ſcribendi concederetur) inſcriptiones adducere: in quibus nomina ſunt pelasga: Qualis eſt illa: quam Lomacij Haud longè à Nouocomo nuper repertam in marmore Pario Vidimus.

MATRON
V S
IESIXTIVS
AGATHON

Buguciacum pagus.

Cactiacũ villula.

Boſſiorum familia.

Tauius. Octauius.

Votum (vt ſuſpicor) Veneri; et Iunoni exolutum. Crathera Inſculpta cum Vrceolo; è regione utriuſq; ſacrificium notat. Hunc porrò Ieſixtium nõ abſurdum eſſet arbitrari vnum ex Colonis; quos. D. Cæſar Nouocomum miſit. Credibile item Actiacum maioris cum amplitudinis; tum dignitatis; quàm nunc ſit, oppidum extitiſſe. Huius rei facili argumento eſt Buguciacum illinc non procul pagus; ac ſi Barbarè diceres Burgum Actiaci: pauloq; inferius in lacus eiuſdem margine Cactiacum iacet villula: et ipſa ſatis exigua: ac ſi dixeris caſtrũ Actiaci. Non poſſum aliquando non plurimum admirari; cũ plures Boſſiæ familiæ; quæ adhuc hac in Vrbe florens eſt; eruditiores viros; et qui ſatis diligenter noſtræ vrbis annales conſcripſerunt; et Circumadiacentium populorũ (de ijs maximè loquimur; Quæ ad eius familiæ honorem; gloriamq; pertinebant) origines et nomenclaturas non obſeruaſſe. In Caſtro Actiaci plurima antiquitatis monumenta ſatis Inſignia viſuntur. Sed pleraq; in Cementum et Calcem ſoluta; Accolarũ quoq; Ignauia a uiatoribus obtrita Interpretationem non admittũt. Quorum primus eſt Tauius neſcio quis: loci illius accolæ Tauium pro Octauio pronunciant: vt pleraq; alia nomina. Ti. Auium magis legerem. Et quicunq; is Tauius fuit; et ab Imperitis male habitus ceteris tamen annectetur.

TAVIO T F SIM

ON CON TAVI

VS S VR VS R AP

IE PIF IVIRI

I E S A L V ET

S I B I

AB oppido Actiaco ad Giurati Lacus Initium quindecim tantum Stadia intercedunt. In lacus ortu Celebre Monasterium visitur: Quod a loci situ caput lacus vniuerſe circum regioni Imminens; cognomentum Seruat. ſunt qui dicant Templum cum cenobio à viro eius regionis primario regibusque Longobardorum Chariſſimo conditum fuiſſe: Cui Cenobio nunc preeſt Hermes Stampa Apoſtolicus Protbonotarius Ceſareus Senator literis ac Singulari Humanitate preditus. — Hermeſ Stāpa

AD leuam lacus glareati; Cuius logitudo ſtadia LX. non excedit. occidentem ad hyemalem duo lacus minoris quidem logitudinis et latitudinis glareato adherent; in quem etiam ſe exonerant à diuerſis quidem pagis circum iacentibus nomina ſortiti: ab Inſignioribus tamen. Anterior Monacij. Seu Monecij. poſterior Ternati uel Ter lacus; et Marchalli oppidorum ſeruant nomina. In lacuum ambitu et Collium verticibus tot ſunt ruinarum Moles Ingentes; quot alibi videre licuerit mihi. Hoc etiam In tractu Gallorum Inſubrum robur ad militiam expeditiſſimum fuiſſe frequentia diſiectorum oppidorum veſtigia facile arguunt. Idem preterea notant que ſuperſunt oppidorum nomenclaturæ: Veluti Marchallum. que quidem dictio Celticam magis; quam Latinam vocem ſonat. Marcham etenim celtæ equum dicunt: vnde et Marcare hoc eſt equitare. Tametſi doctiſſimus Vadianus Heluetius in Commentarijs ſuis in Melam MarK germanicam dictionem; que limitem exprimat, eſſe contendat: Vnde et Marchiones limitaneos duces, vel limitum cuſtodes et defenſores dictos arbitratur. A Marchallo haud longe abeſt Dauerij vicus haud ignobilis. E regione Dauerij occidentem verſus collis in altum extollitur; ita ſenſim in acutum tendens vt obeliſci magis; quam collis effigiem pre-

Lacus Monacii. Lacus Ternati. Marchallum opp. Marchare. Vadianus Heluecius. Mark. Marchiones. Dauerii vicus

ſtet Intuentibus. In cuius vertice olim turris fuit altiſſima: Cuius etiam nunc veſtigia et quidem Ingentia viſuntur. Turderiam vulgo collem ipſum nuncupant: Veri,milius tamen Turrim aeream olim fuiſſe appellatam

Turderia collis.

exiſtimamus. Eo quoq; in tractu verſus Ticinum Cimbrorum eſt vicus olim vt arbitror celeberrimus nunc

Cimbrorum vicus.

verò Colonis ſemiuacuus neglectui eſt. Cuius tam manifeſta cognatiōe nominis arbitramur poſt inſignē illam. C. Marij, et Catuli de Cimbris in agro Nouarienſi; (ibi ſiquidem et victoriæ; et conflictus typi ſunt Candium; et Caſtra Mariana oppida Intra Ticinum; et Seſitem fluminā; adhuc celeberrima) patratam cædem; eorum reliquias ad Inſubres; qui nondum pacato erant In Romanos animo ſe recepiſſe: et ab illis per id locorum ſedes fuiſſe conceſſas facilè crediderim. An magis eſt veriſimile Cimbros illos in Inſubres nomini Romano hoſtes infenſiſſimos: vt ibi ſedes firmarent; et ſe mutuis cędibus conficerent; Immiſſos eſſe: vt huiuſmodi Barbarorum colluuies aduerſus Inſubrum conatus ipſis veluti propugnaculo eſſet. Traductionis facilitas; loci opportunitas; rei quam ſucceſſuram Romani arbitrabantur vtilitas; nomen deniq; pagi eius non procul à Ticino flumine facilè arguunt; atq; etiam mētecapto perſuadent Cimbrorum captiuorum ſex My-

Cimbri. Candium. Caſtra mariana. Ticinus. Seſites.

Cimbrorum. Captiuorum. Sex myriades

riadas; quas ſeruatas à Romanis in uita. C. Marij Plutarchus refert; his in locis Romanis concedentibus deſediſſe. Credere. n. debemus victis loca ad habitandum fuiſſe permiſſa; quibus victores vitam; quam Iure belli poterant extinguere; condonarint. Sed poſt quam de Cimbris mentionē fecimus (tametſi Inſtituti nō ſit noſtri; limites Inſubrū transgredi) libet tamē referre Paulò vltra cimbrum Angleriam eſſe diximus: ab eoq; oppido ad occiduam partem altius ad. X V. milia paſſuum Thoſam fluuium in Verbanum Influere. Amnis hic haud dubie olim Athiſo dictus eſt. Cuius ripas Catulum. C. Marij Collegam vallo et Foſſa muniuiſſe legimus; vt Cimbros et Theutonas à tranſitu Alpium prohiberet; quos ab earum ſaltu arcere non poterat. Recentiores male græcum Plutarchi codicem ſunt Interpretati: dum pro Athiſōne Atheſim fluuium; qui Veronam preterfluit poſuêre; Titi liuij errorē ſequuti; qui celebritatem Gallicam perteſus; et Venetę gloriæ ſtudioſiſſimus Atheſim pro Athiſone ſcripſit; quod illud Veronenſis; hoc Nouarienſis flumen eſſet agri. Conſtat ſiquidem inter authores omnes (illum vnum ſemper excipio) flumen illud; apud quem ſuperatis alpibus Cimbri conſedere duorum tantum dierum Itinere ab eo loco in quo ſuperati ſunt Cimbri a Vercellis diſtare. C. n. Ma-

Plutarchus in Marii vita.

Thoſa fl.

Athiſo.

Theutones.

T. liuii error.

Athiſo fl. Agri Nouarien.

Camarianũ. Caſtra Mariana. Candia. Lac melinus. tractus.

rius caſtrametatus fuerat Citra Seſitem non procul à Vercellarum vrbe In agro tamen Nouarienſi; quem locũ accolæ Camarianum vocant; peritiores Caſtra Mariana. Porrò Candius ager nunc Candia dicitur Lacmellini tractus oppidum non longè à Pado. Huic noſtræ opinioni Calculũ adijcit Euſebius Cronographus diligentiſſimus; qui Cimbros atteſtatur à Romanis profligatos non procul ab vrbe Vercellarum et Pado. Verum cum caſtra mariana licet agri ſint Nouarienſis proximè tamen ſunt Vercellas quàm Nouariam. Icircò falſò hæc In Vercellenſi agro geſta produntur ab authoribus; qui hæc interſticia prorſus Ignorabant: huiuſmodiq; Victoriæ nomina ſemper ſumunt à locis proximioribus.

Atheſis fl.

Porrò Atheſim ſex dierum ſpacio, cuiuſcunq; etiam exercitui ex peditiſſimo diſtare ab illis alpibus; per quas Cimbri tranſiuere, nemo eſt; qui ambigat.

Thoſa fl. Ticinus.

Thoſa igitur fluuius ſeu Athiſo à ſummis alpibus à quibus et Ticinus, ortum ducit; effluit: non tamen eodem; vt Ticinus in Auſtrum; curſu ſed biemalem in orientem primò per Antigoriam vallem preceps ruit:

Antigoria vallis. Pons Creolę. Oſcella opp. Domoſſula.

mox in vernalẽ Orientis plagam cõuerſus ad Creolæ põtẽ, ita Inalpini populi illi nominant, fluuio veteri Immiſcetur: hinc mox dilapſus oſcellam oppidum; quę et domoſſula vocatur; quaſi Domus oſcellana; deinde prẹcipiti curſu

Vogonia. Agidius Tichudius. Agones pop.

Vogoniam alluit. Cuius Incolas miræ eruditionis vir; et diligentiæ Aegidius. Tſchudius in libello; quem edidit de antiqua Rhetia Agones nuncupat. Vniuerſam igitur vallẽ duo flumina iuncta In Verbanum ſimul Influunt.

Vetus fl.

Fluuius porrò, quem ad Creolę pontem Thoſæ diximus adniſceri; à valle; per quam curſus eſt illi; veteris nomen ſumpſit: ab ijs Alpibus incipiens; quibus recta itur in Sedunos.

Seduni.

Quas quidem Alpes eas eſſe crediderim; de quibus tertij commentariorum libri Initio Cæſar meminit: quas quoniam magno cum periculo; magniſq; portorijs mercatores adire conſueuerant; patefieri voluit. Quo quidem Itinere ijdem memoria noſtra vtebantur; dum Nundinę; quæ nunc Lugduni habentur, Geneuę exercerẽtur.

Lugdunum. Geneua.

Breuiori etenim Itinere; minoribus quoq; Impenſis è Gallia per eum tranſitũ in Italiam Lemano; et Verbano Lacubus demum per Ticinum; et Padum apportabantur merces:

Lemanus. Verbanus.

bæ alpes tranſalpinorum lingua ſeduna videlicet quam Tſchudius celticam arbitratur Graij vocitantur.

Grai alpes.

In Ptholomei annotationibus ex recentioribus ſunt qui vocẽ hanc gratas hoc ẽ faciles interpretẽtur. Quę res effecit; vt nõ defuerint qui Alpes ipſas; eas eſſe exiſtimarint; quas priſci graias appellarint quod omnino falſũ eſt Alpes enim graię ſunt iuxta Tarantaſiam Centronum me-

tropolim ad Vallem Auguſtę pretorię; porro inter Alpes graias vbi Tarantaſia eſt et vallem oſcellę quà ad montē Sempronij in ſedunos itur; plurima regio intercipitur. Itali materno ferè Idiomate ſempioni; eruditiores montem Sempronij apellant.

Mons Sempronii.

Pleriq; et quidem docti (nomina eorum honoris gratia ſubticeo) falsò ex commentariorum verbis arbitrati ſunt Alpes ſummas hoc in loco eſſe. Sed de hac re plura, redeo in veterem Vallem: in qua propter Itineris Anguſtias plurima ex parte mons operariorum manu Inciſus viſitur: maximum omnino Cæſarianę munificentiæ teſtimoniū niſi in montis exciſi fornice Inſculptæ ſaxo literę notis quidem græcis: ſed quę tamē in hanc vſq; diē intelligi nequeant, Gallorū (vt reor) vel Germanorū opus eē indicarēt. Quicquid ibi cōtineatur, quando Inſpiciētibus nō ſit obuiū, Barbarum arbitror: Fortaſſeq; Burgundionum Idiomate confectum.

Error de ſummis alpibus.
Vallis vetus.
Mons inciſus ī valle veteri.

Hi ſiquidem populi quos Buguntas (vt exiſtimo) appellat Ptolomeus olim ad Viſtulam vſq; fluuium Germani incolebant hoſq; poſtera ætas Burgundos vocauit. Qui Pauló poſt primam Gothorum in Gallias eruptionem, Sequanorū prouinciam occuparunt, cuius metropolis eſt Beſuntium; ab antiquioribus Veſuntium nuncupatum. Cum verò gentes Burgūdionum bellaces in Italiam ad bella vocarentur, Gothis à

Beſuntium vrbs. Sequanorum. Gothi.

preſertim cōtra Mediolanenſium vires rebelles; qui Beliſario adheſerant: à quibus tandem poſt longam difficileq; obſidionem vrbs ipſa Ferro, fame, flamma vaſtata ē.

Mediolani euerſio.

Haud dubiè in Italiam conuolantibus eorū Iter expeditius fuit à Beſuntio per vallē, quam Dubis fluuius alluit; in Ararim ſe exonerans: mox in Antuates populos; quorū meminit Cæſar, vulgo Pays de vuaut; deinde traiecto Lemano lacu, vel Rhodano flumine per Veragros et ſedunos ſuperatis Alpibus quas ſempronij eſſe diximus vulgo Mont Sempion, per vallem veterem, vbi mons exciſus viſitur, nouiſſimè in Vallem Domoſſulæ deſcendiſſe crediderim. Traiecto poſtmodum Verbano in Inſubres irrupiſſe per Lauenum: Qui portus eſt Verbani celeberrimus. Neq; lectorem locus hic moueat quòd Antuates ad latus Lemmani Lacus pro Pays de vuaut iuxta Cæſaris ſententiam locauerimus Et quòd Idem Cæſar libro quarto Rheni fontem deſcribens, per fines Nantuatum primó fluuium ipſum ferri aſſerat quā è re Cæſaris deſcriptio integra eſſe non poſſet: Populos videlicet eoſdem ad Rheni ortum, et ad Lemmanum Lacum pertinere: locis haud dubió triū dierū itineris ſpatio inter ſe diſtantibus: animaduertat igitur prudens lector Cęſarem in nullo ſibi nō cōſtare: iccirco in quarto commētariorum non Antuatium

Beſuntium ſequanorum.
Dubis fluuius
Araris fl.
Antuates.
Pays de Vvaut.

Aetuates. ſed Aetuatium ipſe potius legerem . Populi Et.n. ipſi teſte
Strabone libro.IIII.Ortum Rheni incolunt; cuius verba
ſubijciam.Rheno autem vicina omnium primi colunt Ae-
Dia duella mons. tuatij. Quibus fluminis origo vicina eſt in diaduella mõ-
Adula mons. te;quem alij adulam vocant. Hunc locum dominus Aegi-
dius Tſchudius Heluetius diligentiſſimæ annotauit. Popu
los eos qui anteriorem Rheni fontẽ habitant.(habet enim
Rhenus duos fontes diuerſos et vterqȝ Rhenus appella-
tur)etiamnum Tuitſcher vel tueraſcha nuncupari:
Corruptè vt(ipſe exiſtimat) Actuatiorum vocabulo.
Decimo à Laueno lapide verſus vrbem Beſutium occur
Beſutiũ opp. rit oppidum In apriciſſimo colle, vnde Beſutiorum nobilis
Beſutiorũ familia. Familia traxit originem.Eo in oppido vetuſtiſſima Impe-
ratorum;et Regum priuilegia leguntur.Et quoniam euer
Medio'ani euerſio. ſa à Gothis Mediolanẽſi vrbe lectum ẽ apud Idoneos au-
thores octo millia mulierum Mediolanenſium dono à Go-
Burgũdiones tis Burgundionibus datas;non abſurdum eſſet exiſtima-
re cum Sarcinarum onere;tum mulierum lachrymis et
precibus delinitos in illo ameniſſimo tractu burgũdiones
ſubſtitiſſe:aut eorum ſaltem partẽ ibi ſedes firmaſſe. Op-
pidumqȝ ipſum ab eorum metropoli Beſuntio; Beſuntium
nominaſſe.Ceterum cum.N.illud ante vulgi auribus ni-
mis Intonaret; paulatim ea ſubducta litera dixere Be-

ſutium.Sed à diuerticulo(quòd aiunt)repetatur fabula;
Si qui ſunt qui minus credant gentes iſtas græcis Cara-
cteribus non vſas fuiſſe;conferant ſe ad Commentaria
Ceſaris libro Primo:et ibi aſpiciẽt Tabulas in Caſtris Hel-
uetiorum repertas notis græcanicis ſcriptas: quos tamen
conſtabat Idiomate græco nõ locutos;ſed quo et hodie vtũ
tur celtico;alioqui Caio Ceſari qui græcam eguè vt lati-
nam linguam nouerat Cum Heluetijs et Germanis opus
interprete non fuiſſet . Hæc obiter diximus;in Athiſonis
ſeu Thoſæ preter ſpem;mentionem incidentes;Nunc(vt
dicitur)ad penſum redeo.In Agro Dauerij antiquiſſima
marmora non deſiderantur;quæ facilè arguunt eius pa-
gi uetuſtam nobilitatẽ qualia ſunt;que ſequũtur;duo iſta.

MERCVRIO
VSLM
ANTONIVS
MAXIMVS

Eodem in oppido ante fores tem-
pli in lapide duas in par
teis fracto in pri-
ma legere eſt.

V F
SEX
ATILIVS
SILENVS

Ternatus vicus.

DAuerio vico Ternatus viculus ſuccedit qui ſuperiori lacunculo nomen Indidit: cui collis Diuo Iacobo dicatus Imminet: habens in vertice caſtri diruti ueſtigia. Mirum eſt vidêre eas Turrium; et menium diſiectas moles: quæ vel ſtulto poſsunt arguere; quanta fuerit caſtri eius authoritas. Ab eo montis cacumine breui ſpacio tres lacus oculis ſubijciuntur Glareatus; Ternatius; qui oppido nomen Indidit: et Monatius. Ternatum porrò dictum arbitrarer à terna natatione: vel vt quibuſdam placet quaſi Trilacum hoc in oppido alterius Atilij tumulus inſpicitur.

Trilacus.

Veriorum familia.

APud Dauerium; Veriorum ſedem vel domũ: quam plures familias nobiliores olim habitaſſe quę penitus interierint, Credibile eſt. Veriorum cognomento; ex Pagi nomine tantum retento; Argumento ſunt ſitus amæniſsimus: et perſpicuus tum et antiquorum monumentorũ ſpire; et epiſtylia quam plurima: adſunt preterea inſcriptiones ex quibus Duas tantum annotauimus Antonium maximum et ſex. Atilium: Huic et alterum. C. Atilium annectere libuit vt ſimul opera noſtra (ſi quid tamen mea carmina poſſunt) uiuerent; cum Accolarum Incuria pedibus penè obtritæ; ac Breui omnino perituræ eſſent memoriolæ.

CATILIVS
LFPOLLIO

Monatius vicus.

DE Monaco ſeu Monetio vico; qui vlteriori Lacui cognomen dedit; nihil eſt quod referam preterquam quod eius nominis oppidum Inter Iapides populos; cuius accollas Gallico more armari Strabo meminit. Nos Lacum ipſum cum oppido à Mona Sanctiſsimo Mediolanẽſium preſule nomen traxiſſe exiſtimamus: qui primus in Vrbe no

Monas Epũs Mediol.

ſtra CHRISTO HVMANI GENERIS REDEMPTORI (vt in annalibus vetuſtiſſimis; quę apud me ſunt; legere eſt) Templũ erexit: idemq; Apoſtolis alterum in Monato: quod quidem hac etiam tempeſtate Sacerdotum Collegio decoratum videmus. Floruit Monas poſt Virgineum partum annum circa Octuageſimum poſt Centeſimum. A duobus Lacubus; et Cimbris recta in vrbem tendentibus in colliculorum velut faucibus obijcitur Cloniola villula olim Coloniola abſq; dubio eò loci à Romanis deducta. Cum.n. M. Claudio et. C. Cornelio Coss. in Ro. ditionem à multis illatis; acceptiſq; cladibus ui tandem Mediolanum deueniſſet: Reliquùmq; Gallorum Inſubrũ. Qui ne ſeruitutem ſubirent; exilium potius honeſtiſſimum ſibi elegere; robur in proximas alpes ſe recepiſſet: huic non nulla loca in montibus Romanos conceſſiſſe Polybius refert: quod ne Irruptionẽ moliretur Coloniolam hanc fuiſſe deductam quis eſt qui ſibi id non perſuadeat. Huiuſce rei nec Leue preſtat argumentum; quod Paulò ſuperius angleriam ad Verbanum lacum inter Beſuntium ſeu Beſutium de quo mox dicemus et Lauenum Verbani portum ad Cuuię vallis ingreſſum Legiunum (ita oppido nomen eſt) adiacet. Cuius dictionis denominatio (vt in pleriſq; alijs videmus) paulùlum detorta eſt dempta O litera;

Monas quo tẽpore floruit.

Cloniola.

Legiunum.

et Vltima A in. M. mutata; a legione vna factum eſt legiunum. Porrò ad Cohibendos tam gallorum quam Germanorum tumultus à Romanis olim legionem vnam locatam fuiſſe; nominis ſimilitudo primum facit: tum oppidi antiquitas ex tot ruinarum congerie; et lapidum inſcriptionibus. loci quoq; opportunitas; adiacet.n. Laueno portui ad quem ex ſummis Alpibus; et à veragris ſeduniſq; Barbarę gẽtes in Inſubres primũ; mox in totam Italiam Confluere aſſueuerint. Et eò facilius ab vna legione legiunũ opp. nomẽ ſumpſiſſe Crediderim; cum et in Terraconenſi Hiſpania Vrbs Celeberrima a Romanis legionibus; quę Diutius eo in loco ſubſtitère nomen ſumpſiſſe; paſſim omnes authores tradant. Quę quidem paucis ferè mutatis Legiun nomen adhuc retinet. In prouintia quinetiam Narbonenſi Arelate vrbs antiquiſſima Sextanorum et Biterra Septumanorum; haud dubio a sexta et septima legione cognomenta obtinuère; veluti et Narbo; quam decumanorũ Coloniam appellat Pomponius Mela à decima legione; et Arauſio ſecundanorum. A legionibus igitur ipſis in pleriſq; regionibus vrbes et oppida a militum ordinibus nomen deflexiſſe eſt clariſſimum; Capitolinus in Clodio legionis quartanorum meminit. Tacitus quoq; in primo libro de quintanis et vndecimanis militibus mentionẽ

Lauenus portus.

Legiun.
A relate.
Sextani.
Biterra.
Septumani.
Narbo.
Decumani.
Pomponius Mela
A rauſio.
Secundani.

Capitolinus.
Quartani.
Tacitus.
Quintani.
Vndecimani.

facit: ſciebant igitur Romani Inſubrum bellaces gẽtes mortis contemptores paratos potius quodcunq; excidiũ, quam ſeruitutem pati. Iccircò ad cohibendos tumultuoſos eorum impetus legionem hanc ſtatutam eo in loco fuiſſe et Coloniolam deductam; quæ eorundem pluſquam virilem audaciam exciperent; credere non eſt abſurdum licet de hac re ne verbum quidem apud authores reperies: ſi quis tamen hac in re negocium mihi faceſceret; ei poſſem, reſpondere; hiſtorias eorum preſertim temporum; quas habemus mancas, et mutilas non modò exiſtere: ſed Vitio temporũ eorum partem maximam deſiderari. Ad hos igitur Gallorum Ciſalpinorum conatus; quorũm nomine (ſi Saluſtio Polybioq; credimus) nihil à Romanis tetrius; horribiliuſq; audiebatur; credibile eſt Coloniolam hanc à Romanis cõſtitutam fuiſſe et legionem vnam vt diximus vbi nunc legiunum eſt, locatam: ex oppiduli ruinarum

reliquijs quanta olim eius fuerit

amplitudo facilè digno

ſcitur. Ea

in vil-

lula Neuij ſecundini

memoria viſitur In ſtyloba-

the elaboratiſſimo.

SACRVM

NVMINI

APOLLINIS

L NAEVIVS

SECVNDINVS

PRO

SALVTE SVO

RVM

TVMVL

VSLM